



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 90119266**

§. 19. Ludovici Emanuelis Portocareris Cardinalis extrema.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](#)

Sæc. XVIII. anno ætatis suæ quinquagesimo secundo  
A. C. 1709. expiravit, tot relictis consummatæ San-  
ctitatis argumentis, ut tandem publicos  
eidem honores decerni credatur.

## §. XIX.

*Ludovici Emanuelis Portocarerri Car-  
dinalis extrema.*

*Eggs suppl.* Pariter hoc anno vitæ suæ cursum ab  
*Purp. Doct.* solvit Ludovicus Emanuel a Porto-  
*pag. 607.* carero Hispanus, qui, quamvis literis  
*Kettel. Deca.* parum valeret, Clericalem tamen ve-  
*V. p. 590.* stem indutus, per omnia Ecclesiæ,  
*Old. in Add.* Aulæ, & militiæ munia pertransiit, ac  
*ad Ciac.* primo Toletani Decani Coadjutor, postea  
*Mem. de la* Archiepiscopus, Hispaniæ Primas, de-  
*Cour d'E-* dum Cardinalis renuntiatus est. Emi-  
*spagn.* nuit tanta ingenii acie, rerumque ge-  
rendarum dexteritate, ut conciliata  
sibi Reginæ Matris, quæ tum Hispani-  
am moderabatur, voluntate, quic-  
quid genius dictaret, in Regno posset:  
nec minor erat ejusdem auctoritas Ro-  
mæ; in comitiis enim, in quibus Cle-  
mens X. & Innocentius XI. Tiaram con-  
secuti sunt, Cardinalium animis domi-  
nabatur, mira etiam sedulitate Au-  
striaco - Hispanæ Aulæ commoda pro-  
curabat, postquam vero cum Braciana  
Ducissa, quæ Tremouillii Galli Cardi-  
nalis Soror erat, frequens Romæ com-  
mer-

mercium habere cæperat, sensim Gal- Sæc. XVIII.  
licum induit animum & P. Torresio Ca- A.C. 1709.

roli Regis Confessario, necnon Patre Diez testibus Regem in limine mortis constitutum diu reluctantem, sub interminata absolutionis repulsa eo induxit, ut Rex exclusa Principum Austriacorum caussa invitus Testamentum in favorem Galli Ducis Andegavensis Versalliis conditum a se antea nec visum, nec scriptum nec dictatum suo chirographo firmaret. Vivente adhuc Carolo Rege Ludovicus Hispаниcam Legationem Romæ obibat, cumque ex Ecclesiæ beneficiis quotidie *mille thalerrorum* redditus perciperet, die vigesima tertia Maij anno præteriti sæculi septuagesimo octavo tam splendidum celebrabat ingressum, ut eum septuaginta quinque currus, quorum quemlibet sex equi traxerant, comitarentur. Postea Siciliæ Pro-Rex nominatus, aliquamdiu ibidem substituit, inde vero in Hispaniam reverti jussus, ab Andegavensi Duce, qui sub Philippi V. nomine Hispanicum solium jamjam conscenderat, in Consiliarium suum intimum, fidumque Achatem selectus est, omniumque arcanorum particeps, ac Rege Mediolanum profecto publicam negotiorum Status directionem plena cum potestate sibi concreditam

E 4                   habuit,

Sæc. XVIII. habuit, qua quidem gratia ejus aucto.  
A. C. 1709. ritas tantopere excrevit, ut ex ipsius  
suasu Regina Toletum, Mendoza su-  
premus Inquisitor Segobiam, & Pater  
Torres ad suum Monasterium velut exu-  
les transmigrare juberentur. Nec ta-  
men adeo immensa felicitas sine mo-  
lestiæ fæcibus, nec sine æmulorum in-  
vidia fluxerat; quamprimum enim Rex  
ex Italia reversus, secum Cardinalem  
Estræum adduxerat, Ludovicus hunc  
in Regiminis consortium vocari, sen-  
simque auctoritatis suæ splendorem ob-  
fuscari indignatus, Gallis tota Hispania  
præalentibus, relicta Aula ad Toleta-  
nam suam Ecclesiam secessit, ubi re-  
jectis sæculi curis, sibi deinceps soli  
Deoque vacare constituit, suasque di-  
vitias ad liberandam Orani arcem a  
Mauris obseßam, necnon ad ferendas  
belli Hispanici expensas profudit: ubi  
vero Asturiæ Princeps in Hispaniæ Suc-  
cessorem proclamatus erat, Ludovicus  
Madritum venire jussus, prior fidei ho-  
magium exsolvit, ac ipsus, postquam  
Pontifex Carolum Austriæ Archidu-  
cem Hispaniæ Regis titulo honorave-  
rat, Regi auctor suisse creditur, ut  
omne cunctis Hispaniæ Præfulibus cum  
Papa commercium habere, Regiis li-  
teris interdiceretur: quo consilio totius  
Cleri odium in se concitavit, unde seu  
immi-

imminutæ auctoritatis Itædio, seu col- Sæc. XVIII.  
ligendi animi studio permotus, denuo A. C. 1709.  
Toletum secessit, ibique sanctis operi-  
bus usque ad mortem intentus, Eccle-  
sias Prænestinam, Lauretanam, & Ro-  
manam S. Mariæ Majoris multo ære  
ditavit, raraque liberalitate & munifi-  
centia pauperes, peregrinos, viduas  
atque pupilos ære parato adjuvit  
postremisque septem vitæ suæ annis  
quatuor egentium millia quotannis clan-  
culum sustentavit, tandem vero Ma-  
driti die decima quarta Septembris,  
annos natus septuaginta quatuor dece-  
fit. Ita plerumque primarium Aulæ  
ministerium Ecclesiasticis exitiale est,  
dumque simul sponte Aulici & Eccle-  
siastici esse volunt, utrumque esse de-  
sinunt, utrumque vero cum decore  
conservant, si non nisi ad componendos  
motus ac tempestates civiles *vocati*, in  
Principum Aulas prodeunt.

### §. XX.

*Controversia inter Abbatem S. Udal-  
rici, & Lutheranos Augustanos  
circa SS. Imagines & in-  
signia.*

Inter plurimas Ecclesias, quas Luthe-  
rani Catholicis armata Suecorum Annot. in  
facti speciem potentia eripuerant, Augustæ Vindeli- Vid. supra  
corum t. 59. p. 39.